

assentiant, Deum Trinum esse, & hominem factum, non quia iisdem revelatum sit, sed propter evidentiam signorum; itidem Hæretici, qui ab Ecclesia Catholica in pluribus Fidei Articulis dissociati sunt, profitentur tamen una simul cum Catholica Ecclesia Incarnationem & Trinitatem; uti sunt Lutherani & Calvinista, non jam propter revelationem, sed ex propria electione. Nam si per revelationem profiterentur, alios etiam quocumque Catholice Fidei articulos profiterentur.

Hac igitur posita distinctione statuendum est nobis, ad Veritates supernaturales cognoscendas, quæ supernaturales solum in se ipsis sunt, non autem in medio, non requiri Divinam Gratiam, sed naturalem propensionem fat esse; neque enim Dæmones, neque hæretici, qui præstant assensum suum, Deum esse Trinum, & hominem factum, habent Gratiam, vi cuius ipsi cognoscant.

Oritur hic difficultas; an scilicet Gratia sit necessaria ad præstandum veritatibus revelatis assensum, quæ non solum in se, verum etiam in medio supernaturales dicuntur. Gratiam igitur omnino necessariam esse ad istarum veritatum revelatarum cognitionem fidenter pronuncio.

Pater hoc ex triplici Scripturæ capite: Cujus Gratia estis salvati: Apostolus cap. 2. ad Ephes. Si fides ergo donum Dei est, & assensus Fidei præstat, merito consequitur, necessariam esse Gratiam ad veritates revelatas cognoscendas.

Id ipsum insinuat Apostolus epist. 2. ad Corinth. cap. 3. non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; si ergo non possumus cogitare sine ope Divinæ Gratia, multo minus possumus credere.

Est & aliud Apostoli oraculum 1. ad Corinth. cap. 4. Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Ex quo colligebat Augustinus contra Pelagianos, necessariam esse Divinam Gratiam ad præstandum veritatibus revelatis assensum.

Unum est tamen, quod hac in parte negotium facessere potest; nam multi putarunt, Augustinum in eam venisse sententiam, ut crederet hominem ex solis liberi arbitrii viribus ad initium fidei pervenire posse; nam dum expendit libro de Dono perseverantia Cap. 14. illud Evangelii de Tiriis & Sidoniis, qui Christo prædicanti credidissent exemplo Corozaitarum, & Bethsairarum, qui Christo prædicanti, & signa facienti non credidit, sibi visus est Augustinus, nonnullis inesse naturale quoddam lumen ingenii, ut facilius moveantur ad fidem, si congruas suis mentibus voces audierint, vel signa conspexerint. Ex quo videtur putasse Augustinus, dari aliquos acuminem ingenii valentiores, qui dummodo certa verba audiant, & signa conspiciant, facile moventur ad Fidem.

Locus hic male torfit recentiores Theologos: Fuere nonnulli, qui ut facile sese possent expedire, dixerunt, Augustinum de naturali lumine locutum non fuisse, sed de lumine naturaliter Divino.

Sed hoc videtur mihi non aliud esse, quam ludere verbis; idem enim sonat lumen naturaliter Divinum, ac lumen supernaturale. Quare dicere potius, Augustinum locutum fuisse de motione externa, & objectiva; non interna & formali; quo pacto hoc? quia homines ingenio valentiores, ubi audiant prædicatorem, melius perspicunt vim & efficaciam, qua movet Concionator ad Fidem. Cæterum qualecumque sit hominis ingenium, sine Gratia Dei ad fidem moveri nequaquam potest, quod patet ex subsequentijs Augustini verbis: Et tamen si Dei aliorum

judicio a perditionis massa non sunt Gratia prædicationis discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta Divina vel facta, per quo possent credere, si audirent utique talia, vel viderent. Idque patet exemplo, quod cap. 16. Actum Apostolorum refertur: ubi legitur, Apostolos habuisse quandoque concionem, & ex ea concione, ex omnibus mulieribus, quæ audierant, unica mulier purpuraria, nomine Lydia, prædicato Evangelio Fidem præstitit; & hoc contigit, quia Dominus cor ejus aperuit, intendere his, quæ dicebantur a Paulo.

Restat aliud diluendum momentum; nimirum quo pacto homo potest sine Gratia præstare assensum verbis hominis alicujus prædicantis, cur vero non poterit etiam sine Gratia præstare assensum veritatibus revelatis? Apertissima disparitas est: dum probus aliquis vir loquitur, naturaliter certi esse possumus de ejus probitate & de veritate, quam dicit; & ex hac notione possumus dictis suis assensum præstare, quin cor nostrum Divinæ Gratia auxilio maniat. At licet certiores simus, Deum nullatenus mentiri posse, non sumus tamen naturaliter certi, hoc Deum revelasse; nam revelationis notitiam habemus ex Scripturis, quæ naturalis non est.

Sunt nihilofecius qui dicunt: potest homo ex stimulo vanæ gloriæ ad aliquid credendum moveri; Ad hoc porro non movetur ope Divinæ Gratia, quia Deus non movet ad actus peccaminosos.

Mirum est, quantum in ea rhapsodia diluenda inter sese digladiantur Theologi.

Ego tamen negari posse putarem, ex motivo vanæ gloriæ moveri homines ad credendum; nam hoc motivo non movemur, nisi ad actus externos, non autem internos.

Sed demus etiam, moveri homines ex motivo vanæ gloriæ captandæ; non repugnat porro, motivum hoc esse a Deo ut motore, ut actus physicus est; quod certe exemplo comperit est: dum pravus aliquis Sacerdos ex fine Simoniaci confecerat, puta capiendæ pecuniæ, movetur hic profecto stimulo avaritiæ; Deus ergo, qui induit in operationem consecratis, insuit, quatenus actus est operativus Sacramenti, non ut est actus inhonestus, & pravus.

Atque hæc de necessitate Gratia efficacia ad veritates supernaturales cognoscendas. Nunc de ejusdem Gratia necessitate ad bona opera exercenda nobis est disputandum, quod alterum institutum disputationis membrum est, eritque amplum sequentis Exercitationis argumentum.

## PRÆLECTIO IX.

An Gratia per Christum necessaria sit ad bona opera exercenda?

DE Gratia necessitate ad bonum opus exercendum dum dispo, offerunt sese primo magni nominis Theologi, cum quibus, & contra quos nobis erit in presentia disputandum. Inter hos enumeratur Michael Bajus Academia Lovaniensis Professor, Cornelius Jansenius, & Gregorius Ariminensis Infinitus Augustiniani Professor.

Michael Bajus lib. 1. de natura pura cap. 16. probat, ad bonum opus peragendum necessariam esse influxum Gratia sanctificantis & charitatis, adeo ut quodcumque opus moraliter bonum sine hoc influxu exercetur, inhonestum sit atque peccaminosum.

Mitius de hoc censuit Jansenius, imo dicit oppositum Lib. 3. de nat. lapsa cap. 15. 16. 17. Sine

Sine fide vera capp. 18. 19. 20. & Lib. 4. a cap. 1. usque ad 17. ubi ex Augustino alitque PP. & ex Concilio Arausiano probare contendit, nulla sine fide opera bona esse, Virtutesque morales Philosophorum Gentilium, & Romanorum, non Virtutes, sed Vicia fuisse.

Gregorius Ariminensis his omnibus mitius perferit; Quamquam enim putaret, necessariam non esse influxum nec Gratia sanctificantis, nec Charitatis, nec Fidei; contendebat tamen necessariam esse influxum Gratia actualis, adeo ut homo sine hoc influxu nequeat bonum opus exercere.

Ad Michaelis igitur Baii opinionem veniamus. Necessarium certe non esse Gratia sanctificantis influxum & charitatis ad bonum opus peragendum, nec omne bonum opus, quod sine istiusmodi influxu exercetur, peccatum esse, sanxit Synodus Tridentina Sess. 6. de Justificatione can. 7. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante Justificationem fiunt, quocumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut, quanto vehementius quis vitatur se disponere ad Gratiam, tanto cum gravius peccare; anathema sit. Quod etiam confirmat eadem Synodus in hac Sess. de Justif. Can. 8. ubi hæc habet: Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit. Si ergo timor gehennæ elicitur ante Justificationem bonus est; non ergo omne opus moraliter bonum, quod fit ab homine nondum justificato, peccatum est. Cæterum Pius V. & Gregorius XIII. varias propositiones a Michaele Bajo assertas proseripsere; quarum trigesima quinta hæc erat: omne quod agit peccator, vel serenus peccati, peccatum est; & altera quadragesima: in omnibus suis actibus peccator servit dominantis cupiditati; & hæc Summi II Pontificis condemnarunt; si ergo omne opus, quod exercetur ab homine nondum justificato, peccatum non est, argumento est, opera moraliter bona, quæ sine influxu Gratia sanctificantis & charitatis exeruntur, non esse inhonestæ ac peccaminosa.

Hoc idem in antecessum statuisse videtur Augustinus lib. de Spir. & lit. cap. 28. ubi ait. Sicut non impediunt a vita æterna justum quedam peccata venialia, sine quibus vita hæc non ducitur; sic ad salutem æternam nihil profunt aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

Confirmavit hoc idem SS. Doctor lib. de patientia cap. 26. ubi hæc habet, si quis autem non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem spiritus, & vinculum pacis, quæ Catholica Ecclesia congregata comeditur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammam, vel bestias, vel ipsam crucem, timorem gehennarum, & ignis æterni; nullo modo ista culpanda sunt, imo vero & laudanda patientia est.

Sed quid necessum est nobis, Pontificum, Conciliorum, & Patrum testimonia perquirere; cum res per sese pateat sola duce naturali ratione? Ut enim opus sit moraliter bonum, satis est, si ex fine honesto fiat; potest autem quis operari ex fine honesto, est charitas & Gratia Sanctificantis non maneat in eo; & certe, si ut opus aliquod esset moraliter bonum, necessum esset, ut fieret ex influxu Gratia Sanctificantis, vel charitatis, confunderetur ordo moralis cum ordine supernaturali; cum ad bonum opus supernaturale requiratur, ut cum charitate dominante exercetur.

Duo sunt, quæ Michaelem Bajum in eam perverfam sententiam induxere; Unum, quod multa congerat Sacrarum Scripturarum Oracula, in quibus videtur Deus quocumque peccatorum hominum opera reprobare. Reprobatur enim Sacris in Litteris sacrificium impiorum, protestans se, ea nullatenus excipere Isaie 1. ne offeratis ultra sacrificium frustra: Incensum abominatio est mihi. Neomeriam, & Sabbarum, & festivitatem alias non seram; iniqui sunt catus vestri. Abominatur etiam orationes peccatorum; unde ea habetur Regii Vatis maledictio: oratio eorum est abominatio.

En quod primo delusit Michaelem Bajum; ubi enim Deus rejicit in Scripturis opera peccatorum, non generatim rejicit, sed ea solum, quæ ex hypocritis fiunt, ad auram & vanam gloriam captandam; quinimo patet, Deum non omnino peccatorum opera reprobare; nam videmus Danielis 4. adhortari Regem celestissimum, ut peccata sua elemosynis redimat.

Alterum, quod Michaelem illudit hoc est; quod passim legatur in Augustino, nihil boni esse in homine, nisi quod a Divina Gratia hominibus impartitur; nihilque boni ab homine fieri, nisi fiat ex charitate. At non observavit imprudens, Augustinum distinguere bona opera, quæ bona simpliciter & absolute dicuntur, quæque ad salutem proficiunt æternam, ab iis operibus, quæ bona dicuntur secundum quid, quæque valent ad profectum aliquem naturalem obtinendum.

Dubium ea de re longe major enascitur Bajo; ex eo quod putat omnia saltem opera bona, quæ ab Atheis fiunt, esse ex necessitate peccata mortalia; nam cum bonum opus referri debeat ad Deum, ut auctorem naturæ & relictudinis, Athei nedum opera sua ad Deum, ut auctorem naturæ & relictudinis non referunt, sed nequidem Deum cognoscunt.

Difficultatem hanc prævidit & occupavit D. Thomas lib. 3. cont. Gent. Concedit enim, ad opus quodcumque bonum peragendum necessum esse, illud ad Deum referre, uti auctorem naturæ & relictudinis; sed satis esse ait, si implicite ac mediate referatur; nam hoc ipso, quod bonum opus exercetur, hoc statim ad honestum finem referunt; & sic implicite censetur referri ad Deum. Ita sane Athei, qui nullam habent Dei, ut auctoris naturæ & relictudinis, notitiam, implicite ac mediate opera sua bona referunt ad Deum, dum hæc ad honestum finem referunt.

Confutato jam satis superque Jansenii Magistro, nunc ad discipulum suum agendum vocem & animum convertamus; statumque statim contra ipsum, Influxum fidei, quemadmodum contendit ipse, necessariam non esse ad opus moraliter bonum exercendum. Id ut planum faciam, recuro ad auctoritatem Scripturæ & Augustini, quem Jansenius magnopere veneratur & colit, quemque Duce ac Principem suis in operibus profitetur.

Ex Scriptura igitur liquet primo, multa opera bona esse ab Infidelibus elicta, quæ non solum non fuere peccata, sed etiam Sacris in Litteris commendata, amplexu munere a Deo ipso donata. Lib. enim Exod. cap. 1. refertur factum Obstertricum Egyptiarum, quæ contra præceptum Regis intactos servarunt pueros Hebræorum, licet eis Pharaon præcepisset, ut si pueri ex feminis Hebræis nascerentur, suffocarent. Porro factum hoc non tam in Scriptura laudatur, sed etiam magnam mercedem Deus obstertricibus largitus est; cum eis ædificaverit domos; & tamen Fœminæ illæ gentiles erant.

Legitur item alterum in lib. Josue cap. 2. & 6. Nimirum Rahab, quæ exceptis incolumes exploratores Egypti, qui a Josue missi fuerant ad explorandam Terram, Urbemque Hierico, hosque salvavit ab interitu, quem Gentiles ipsis intulissent, si eos reperissent. Deus autem mercedem Rahab, quantumvis infideli, largitus est.

Exat & aliud factum in lib. Esther cap. 2. ubi legitur, Assuerum Regem ab invidia, ab acerbitate, a livore conversum esse in mansuetudinem erga Estherem, & Israelitas. Porro Assuerus ille, cuius lenitas non tam commendata, quam remunerata legitur in Scriptura, Gentilis erat. Liquet ergo ex Sacris Litteris multa esse Infidelium gesta, quæ non modo laudantur, sed magna etiam mercede donata sunt. Non sunt igitur opera omnia Infidelium peccata.

Hoc etiam eliam ex auctoritate Augustini. nimirum multa esse facta gesta, quæ non tam laudantur, sed etiam mercede donantur: lib. enim 5. de Civitate Dei cap. 15. refert, dedisse Deum amplum Romanis imperium in remunerationem virtutum, quæ exercere solebant, Romani porro Gentiles erant.

Epistola itidem 130. laudat virginalem continentiam Polemonis Juvenis Ethnici, eamque dicit esse donum Dei; si ergo donum Dei fuit, quis dicet, fuisse peccatum?

Idem insinuat lib. de Gratia Christi cap. 24. ubi recolens factum lenitatis Assueri superius allatum, contendit, eam Regis lenitatem donum Dei fuisse, dum post facti illius expositionem hæc verba subiungit. Puto non desipere, sed insanire hominem, qui quis de illo Rege, qualis tunc erat, hæc senserit: & tamen convertit Deus, & transfudit indignationem ejus in lenitatem. Adeo certum est censuisse Augustinum, non omnia Infidelium opera esse peccata.

Sed longe disertius difficultatem hanc evacuasse videtur epist. 99. ad Evadium: ubi ait, dari in infidelibus aliqua opera adeo bona, ut merito fidelibus ipsis imitanda proponantur.

At quid est necesse, Sacrarum Scripturarum testimonia, & Augustini auctoritates perquirere, ut in propatulo Catholicam veritatem ponamus. Res ipsa iudicata contrarium evincit, cum inter septuaginta novem propositiones Michaelis Baj, quæ a Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. anathemate percussæ sunt hæc habeatur numero 25.: Omnia opera Infidelium sunt peccata.

Unum est, quod fucum fecisse videtur Cornelio Jansenio. Non satis hic intellexit, quod in novo Testamento de operibus perlegitur: Apostolus enim epist. ad Rom. cap. 14. ait: Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est; ex quo collegit Jansenius, omnia bona Infidelium opera esse peccata.

Inepte tamen & inconulto; nam Apostolus eo loci fidem non accipit pro virtute Theologica, sed pro conscientia. Patet hoc apertissime ex Apostoli Instituto: ibi enim respondet Apostolus difficultati sibi a Fidelibus propositæ, utrum licitum eis esset comedere carnes, quæ venales in macello prostabant. Sæpe enim contingebat, proflare carnes manducandas, quæ Idolis sacrificatæ fuerant: unde eo in casu respondit Apostolus: bonum est non manducare carnem . . . beatus qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Quis autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Ubi aperte videmus de conscientia, non de fide Theologica Apostolum fuisse loquutum, quasi diceret: qui discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non operatur ex conscientia.

ria: omne autem quod non est ex conscientia, peccatum est. Alterum est, quod delusit Jansenium, Apostoli oraculum in epist. ad Hebræos cap. 11. Sine fide autem impossibile est placere Deo; Concludit ergo Jansenius, opus, quod sine Fide fit, Deo placere non posse, & per consequens peccatum esse, cum Deo solum bonum placere possit.

Ad hujus resolutionem observare operæ pretium est, Apostolum ubi ait, sine fide impossibile esse placere Deo: intelligere, hominem sine fide impossibile esse placere Deo, non opus; ibi enim fit sermo de homine, qui Infidelis esset, si sine Fide operaretur; & hoc pacto, qui Infidelis est, nequit placere Deo. Opus vero, quod sine Fide fit, Deo placere potest; quia licet fiat sine Fide, non iccirco fit ex Infidelitate.

Difficultatem hæc in re videtur habere aliquam D. Augustini Sententia lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 3. ubi habet: Si Gentilis nudum operaverit, periclitantem liberaverit, agri vulnere fovaverit . . . profus in quantum non est ex fide, peccatum est: ex quibus aperteliquet, docuisse Augustinum, omnia, quæ ab Infidelibus fiunt, peccatum esse.

Difficultatem illam tamen depellit id, quod eo in loco subiungit SS. Doctor: si Gentilis nudum operaverit, profus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quod factum, quod est nudam operare, sit peccatum; sed de tali opere non in domino, sed in se ipso gloriari. Unde videtis, eo in loco Augustinum in tantum docere ea esse peccata, in quantum fiunt ad auram acquirendam, & ad vanam gloriam captandam. Michaelis Baii & Jansenii erroribus de necessitate Sanctificantis Gratia, & fidei ad opera moraliter bona exercenda, incidenter confutatis, instituta de actuali Gratia tractationis ratio postulat, ut inquiramus (quod loco tertio proposuimus ex Sententia Gregorii Ariminensis) an saltem ad opus moraliter bonum necessarius sit influxus Gratia actualis? de quo in sequentibus disputabimus.

## P R E L E C T I O X.

Ad bona moraliter opera elicienda, aliquem actualis Gratia concursus prærequiritur, demonstratur.

Confutatis & Michaelis Baj, & Cornelli Jansenii opinationibus, ordo nunc postulat, ut ad quorundam Recentiorum commenta eventilandam labores nostros impendamus. Nonnulli ergo Theologi viam mediam hæc in parte tenere; & quamquam hi nec Gratia Sanctificantis, nec charitatis, nec fidei influxum ad opera moraliter bona exercenda, necessarium esse contenderent, putarunt tamen, Gratiam aliquam actualem prærequiri. Hæc de re litigant inter sese Theologi bene multi recentiores.

Hæsi ego aliquantisper, quam in partem propendere deberem; Tandem rebus attentius pensatis, in hanc Sententiam veni: nempe in statu naturæ corruptæ neminem posse opus moraliter bonum eliceri ex solis viribus naturæ; sed aliquem actualis Gratia concursus esse profus necessarium.

Id ut evincam, in medio proferam duo principia, quibus omnes Theologi assentiri videntur.

Primum est: Natura per Adæ peccatum non solum fuit gratuitis donis spoliata, verum etiam in naturalibus vulnerata, quod disertè probat Augustinus lib. 2. Quæst. Evangel. 19. in quo expendens parabolam Samaritani illius, qui de Jerusa-

rusalem descendens in Jerico, in latrones occurrit, qui eum plagis vulnerarunt, & semivivum reliquerunt; docet ibi SS. Doctor Samaritani specie Adam peccatorem esse intelligendum, latrones Diabolum, qui eum plagis vulneravit, & non tam gratuitis donis, sed etiam naturalibus spoliavit. Natura igitur nulla opera bona præstare potest, quin media aliqua Gratia supra corruptionem suam, & debilitatem affurgat.

Principium alterum est, in quo omnes ferme conveniunt, hominem per peccatum Adæ esse aversum a Deo non solum ut a fine supernaturali, sed etiam ut a fine naturali; Hujus fundamentum est D. Thomæ; nam Adam peccando legem non tam supernaturalem, sed etiam naturalem transgressus est. Ex quo principio deducitur: quod qui est aversum a Deo non tam ut a fine supernaturali, sed etiam ut a fine naturali, non potest converti ad Deum, ut ad finem supernaturalem, & naturalem, nisi ope alicujus Divinæ Gratia actualis. Cum igitur converti debeat opera moraliter bona eliciendo, concludendum est nobis, id ex solis ingentis naturæ viribus præstare nequaquam posse.

Hoc idem, quod ex iis principiis deductum est, docuit Doctor Angelicus, qui ubicumque expendit, quid homo possit ex solis viribus naturæ, semper & ubique restrictionem posuit, ut possit aliqua opera eliceri sine ope Gratia. Quærens ergo 1. 2. Quæst. 109. artic. 2. quid possit liberum hominis arbitrium in statu naturæ lapsæ ad opera bona exercenda? Respondit, posse quidem in statu naturæ lapsæ edere aliqua bona opera, quæ bona sint ad commoditatem naturæ, & Republicæ, sicut est edificare domos, plantare vineas, & similia; at non opera virtutis, & honestatis moralis, longe id Genus.

Id longe disertius exposuit idem SS. Doctor 2. 2. quæst. 126. artic. 3. ad 2. Air enim: Bonum politica virtutis commensuratum est naturæ humane: & ideo absque auxilio Gratia gratum scientis potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio Gratia Dei.

Alibi tandem expendens, an possit homo ex propriis naturæ viribus aliquas ponere præcedentes dispositiones ad justificationem? Desinit, posse ex viribus suis naturalibus ponere dispositiones mere negativas: Porro opera moraliter bona sunt dispositiones positivæ, saltem remotæ ad Gratiam justificationis; si ergo dispositiones sunt positivæ remotæ, sequitur concludendum, liberum hominis arbitrium, sine subsidio Gratia, eas eliceri nullatenus posse.

Dicit fortasse non nemo, dispositiones illas esse negativas, hoc est, quibus remouentur impedimenta ad justificationem obtinendam. Cui ego respondeo, ipsum Doctorem Angelicum sustinere, non ponere impedimentum Gratia, non posse esse sine Gratia. Quod Augustinus, etiam expendens, statuit, opera moraliter bona, quæ interdum a Gentilibus peracta sunt, exercita non fuisse, nisi ope Gratia; docuit hoc etiam lib. de Gratia Christi cap. 24. ubi recolens præstitam illam ab Assueri in Estherem, & Israelitas lenitatem, subiungit, hujusce mansuetudinem in eo fuisse donum a Deo præstitum: Similiter idem S. Doctor epist. 130. in memoriam revocans illum castitatis actum a Polemone Juvene Ethnico exercitum, docet, fuisse donum Dei, quod in eo per Gratiam Christi operatus est Deus.

Sunt nihilofecius qui dicunt: si in statu Naturæ Lapsæ liberum hominis arbitrium opus moraliter bonum exercere nullatenus posset, opus ergo moraliter bonum erit ordinis supernaturalis proindeque confunderentur ordines naturalis, & supernaturalis inter sese.

Id ut evacuem, observare necesse est, aliquid dici posse naturale secundum sese, & supernaturalis ratione mediis, & causæ secundæ, unde prodit; quod fiet manifestum exemplo. Facultas videndi naturalis est, Facultas gradiendi pariter naturalis est secundum se se: attamen si cum natura spectemus, cui Christus visum restituit, supernaturalis est; nam hæc facultas videndi, quamquam ex se naturalis sit, spectata tamen causa, Deo nimirum visum cæco restituerit, supernaturalis est. Ita gradiendi facultas secundum sese naturalis est, sed si claudum illum spectemus, quem erexit Petrus ingrediens in Templum, est supernaturalis: ita etiam opera moraliter bona sunt & ordinis naturalis, & ordinis etiam supernaturalis absque ulla ordinum confusione; naturalis scilicet secundum sese, supernaturalis rationis mediis, & causæ; videlicet ratione corruptionis naturæ per peccatum vulneratæ in utraque potentia animæ adeoque ita viribus destituta, ut quod ante per se semet præstare poterat, postmodum absque superioris adjutorio profus nequeat.

Reum me dicerent Adversarii, si intactum hic prætermiserim celebratum Apostoli Oraculum cap. 2. in epist. ad Rom. ubi hæc habentur: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sumt lex. Quo loco, Judice Apostolo, evincere se putant, gentes naturaliter facere ea, quæ legis sunt.

Mirum est, quantum hic locus torserit Recentiores nonnullos. Sunt, qui reponunt, ut hujus oraculi vim elidant, Apostolum non de Gentibus in gentilitate constitutis sermonem facere; sed de Gentibus ad Christum conversis, quales erant Nivivæ, Melchisedech, Naman Syrus, Regina Saba, & Cornelius; qui naturaliter præstiterunt quæ legis sunt: Facilius tamen erit reponere, ly naturaliter non esse in ore Apostoli intelligendum pro ut natura opponitur Gratia, sed pro ut natura opponitur legi; adeo ut significare voluerit Apostolus, Gentes sine lege Mosaica ea præstiterunt, quæ legis sunt; nam etiam in lege naturæ vigeat Gratia.

Quæ demum producantur hinc inde congesta momenta rationum, cum ex solis perantur congruis, nihil certo probant, nihil evincunt. Quare donec meliora succurrant, nihil de rōta quæstione ulterius disputandum existimamus.

## P R E L E C T I O XI.

Non posse hominem ipsum ex solis suis viribus diligere Deum, ut auctorem naturæ, multis argumentis ostenditur.

Agitatis de Gratia efficacis necessitate ad opera moraliter bona efficienda gravissimis Controversiis; Ordo nunc postulat, ut ad eas movendas quæstiones mentem, & animum convertamus, quæ de alia ejusdem Gratia necessitate moveri solent, scilicet, an hæc Gratia necessaria sit ad amandum Deum, ut auctorem naturæ. Qua in re observandum in primis est, Deum, uti est auctor naturæ, ita esse auctorem Gratia. Rursus amor ille, quo Deus diligitur, ut auctor naturæ, duplex distingui a Theologis solet. Primus imperfectus & inefficax; Efficax & perfectus alter; Actus amoris inefficacis, & imperfecti est, quo Deus sola quadam simplici complacentia diligitur, E contra verus actus amoris efficacis ille est, qui complectitur & benevolentiam erga Deum, & ponit omnia media ad possessionem Dei obtinendam.

Hæc itaque distinctione posita, disputant invicem

cem inter sese Theologi, an in statu naturæ lapsæ possit homo diligere Deum, ut auctorem naturæ sine ope Gratiæ. Non desunt, qui negent; nec desunt, qui affirmet.

Qua in re itaque nos D. Augustini sententiam amplectimur, scilicet, non posse hominem lapsam ex solis suis viribus Deum diligere, ut auctorem naturæ.

Hoc docet in primis S. Doctor epist. 117. ad Vitalem Cartaginensem cap. 14. ubi ait: *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

Id etiam docet Celestinus I. in epistola decretali ad Gallos Episcopos: ubi habet: *in prevaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruine per liberum arbitrium posse conjungere, nisi cum Gratia Dei miserantia exerit.*

Hinc succinit Gelasius in epist. ad omnes Episcopos per Picenum constitutos, in qua conceptissimis verbis asseruit, peccato originali humanam substantiam esse depravatam: hoc est naturæ potentias ad ejus substantiam spectantes.

Facit integram etiam propositæ sententiæ fidem Concilium 2. Arausicanum cap. 1. *Si quis per offensam prevaricationis Adæ, non totum, id est secundum corpus, & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed anime libertate illa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ dicenti: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, & nescitis quoniam cui exhibebitis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis? & a quo enim quis superatus est, hujus & servus est. Ezech. 18. Rom. 6. 2. Petr. 2. & cap. 25. Ac sic secundum superscriptas sanctorum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere; quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit; nisi cum Gratia misericordie Divina prævenit.*

Sed quid peregrina testimonia perquirimus, ut veritas in proprolo appareat? Satis est, quod naturæ principia seruetur.

Primum principium est, facultatem læsam, & vulneratam ex se ipsa non posse elicere actum excellentissimum, quem certo certius eliceret, si sana esset; porro actus hic perfectissimus esset amor Dei, ut auctoris naturæ; cum igitur debilitata sit atque infirmata, nequit hunc actum exercere sine ope Gratiæ.

Hinc addiderim ego. Amor iste efficax, de quo sermo nobis est, secum importat observantiam legis naturalis, cum implementum legis naturalis necessario ad amorem Dei, ut auctoris naturæ consequatur: Porro non posse hominem sine subsidio Gratiæ adimplere legem naturalem, si bene meministis, in antecessum exposui, dum protuli locum illum Apostoli in epist. ad Rom. cap. 2. gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legibus sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Offendique locum illum esse intelligendum de implemento pro ut opponitur legi, non pro ut opponitur Gratiæ; quæ sane in parte perierit hallucinantur Theologi.

Unum tamen est, quod adversæ parti gravissimum præfert momentum; posse nimirum hominem naturaliter diligere Deum, quia D. Thomas 1. part. quæst. 60. art. 5. ad 5. ait, Angelos ipsos peccantes naturaliter diligere Deum: quod confirmat in 2. sentent. 4. dist. 33. quæst. 2. art. 2. ad 5. nimirum pueros ex hac vita sine baptismo decedentes Deum naturaliter diligere; ex quo inferunt

ipsi, quod cum homo in statu naturæ lapsæ nequeat esse inferioris conditionis, ac sint Dæmones in Inferis, pueri in Lybo; concludendum est, quod si hi Deum naturaliter diligunt, naturaliter & homo Deum, ut auctorem naturæ, diligere possit.

At imprudentes non advertunt, D. Thomam asserentem, Dæmones, & infantulos sine baptismo sublato naturaliter amare Deum, non loqui de amore amicitie, sed de amore concupiscentiæ. Quinimo amor ille est, quo magis reos se faciunt apud Deum.

Ejusdem furfuris est aliud, quod jactitant Adversarii, ut amorem illum in statu naturæ lapsæ possibilem dicant: quod nimirum homo in statu illo naturaliter diligit parentes suos, & amicos, quin in hisce amandis Gratiæ, aliqua indigeat; quid ergo indigebit, ut Deus ametur, qui super omnia amabilis est?

Rideo ad hujuscemodi argumentationem. Potest quidem homo in statu naturæ lapsæ parentes, & amicos diligere sine adminiculo Gratiæ; nequit tamen amare Deum; quia cum Deus sit purissimus Spiritus, non ita movet & excitat, sicut parentes & amici, qui sensibus subiecti sunt.

Addo etiam amorem parentum, & amicorum non habere secum tot, & tanta impedimenta vincenda, sicut habet amor Dei, & per hoc fit, ut quantumvis homines possint parentes suos, & amicos diligere sine ope Gratiæ, nequeant tamen sine hujuscemodi adminiculo diligere naturaliter Deum.

Sed dicit fortasse aliquis: In statu naturæ lapsæ numquid homo non potest naturaliter cognoscere Deum, ut auctorem naturæ? Cur non poterit naturaliter amare? Patentissimum discrimen est; quia per Adæ peccatum magis vitata voluntas est, quam intellectus, cum Adam peccando perverse voluntatis peccatum commiserit; & per hoc fit, ut licet homo possit cognoscere naturaliter Deum, non possit tamen sine subsidio Gratiæ naturaliter amare.

Quia vero nova sese hoc loco aperit difficultas non segniter ac desuntorio perpendenda; iccirco in Exercitationem alteram mittimus majori otio expediendam. Videlicet, an ad opus salutare perficiendum indigeat homo Divinæ Gratiæ; & quidem efficacis adjutorio?

### PRÆLECTIO XII.

*Num ad opus salutare perficiendum necessaria sit Divina efficax Gratia.*

**I**N ea, quam modo suscipimus agitandam Controversiam: nempe, an necessarium sit Divinæ Gratiæ adjutorium ad opus meritum æternæ salutis, historica veluti narratione complectemur, quæ ad impetendum Pelagianorum & Semipelagianorum errorem protulit Augustinus; cum in hac sententia æque peccarent Pelagiani ac Semipelagiani. Quo itaque pacto etroneam istorum opinionem Augustinus oppugnaverit in præfens ostendamus.

Dicebant ergo Pelagiani, ad bonum opus perficiendum non esse necessariam Divinam gratiam. Semipelagiani vero, qui iccirco Semipelagiani dicti sunt, quod partem erroris Pelagianorum tuerentur, partem etiam execrarentur, initium saltem boni operis ex nobis esse dicebant, non vero ex Gratia Dei. Quare Augustinus ut ambos ex æquo confutaret, probaretque & initium bonorum operum, & profectum, non nisi ex Dei Gratia esse posse, momenta ex Apostolo repetebat.

Primum ex epist. ad Philipenses c. 2. desumpsit: *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere;*

*vere, pro bona voluntate.* Ex quo colligebat S. Doctor & initium, & profectum bonorum operum ex Deo esse.

Veritatem hanc contra Pelagianos ostendit aliis etiam petit ex Scriptura momentis, Psal. nimirum 76. *Et dixi, nunc capi: hæc mutatio dextere excelsi.*

Psal. 80. *Dilata or tuum & implebo illud.* Psal. 118. *Viam iniquitatis amove a me: & de lege tua miserere mei.*

Aliud defumebat momentum 2. Corint. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Hæc, aliaque id genus multa asserbat S. Doctor, ut Pelagianis ostenderet, ad bonum opus perficiendum necessariam esse Divinam Gratiam.

Nihilominus Augustinus, ut Pelagianos impugnet, statuatque sententiam suam certiorer faceret, omnibus hisce momentis addidit Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritatem.

Impetebat itaque loco primo Pelagianos auctoritate Zozimi Pontificis Maximi: Cum enim ab initio Pelagius & Cælestius falsis suis dogmatibus summo artificio fucatis Pontifici imposuissent, litteras hic commendatitias ad Africanos Episcopos dedit; quos tamen, cognita postmodum veritate, anathemate condemnavit. Quæ quidem epistola in Pelagianorum confutationem usus est Augustinus.

Nitebatur itidem idipsum evincere auctoritate Innocentii I. Cum enim Africanis exorbitantia Pelagianorum dogmata exposuissent, misit eis Pontifex Decretalem contra Pelagianos epistolam; quam cum accepisset Augustinus, dum esset in Africa, in hanc vocem erupit: *Jam enim de hac causa duo consilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Unde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est: Urinam aliquando finitur error.* Sermon. 2. de verb. Apost. propositum. Quod totum etiam auctoritate Concilii Cæsariensis roboravit.

Quod vero ad Semipelagianorum hæresim pertinet, quæ sustinebat, initium bonorum operum in nobis esse, hanc vero Augustinus non confutavit Conciliorum auctoritate; nam quædam vixit, nil definitum erat; unde usque ad obitum Augustini istorum sententia non habebatur ut error in Ecclesia Catholica; cepitque in Concilio Arausicano II. confutari; & Cælestini I. Felicis IV. & Bonifacii II. auctoritatibus reprobari.

Quod autem ad momenta pertinet, quibus, & Pelagiani, & Semipelagiani utebantur ad eorumdem sententiæ defensionem, ad plura capita revo-

cantur. Quorum primum Pelagianorum hoc est; ut nimirum boni operis perfectionem a Deo non esse demonstrarent: Si Deus operaretur in nobis bonorum operum perfectionem, non mereremur nos per bona opera nostra vitam æternam. Quod tamen Augustinus posita distinctione excussit: quod Deus nimirum, etiam si operetur in nobis omnium bonorum operum perfectionem, non operatur in nobis quasi nihil agentibus, sed nobis consentientibus, & ad stipulantibus operatur; unde ea opera bona, ideo meritoria sunt nobis, quia nos Deo operanti assentimur.

Secundum momentum, cui fidebant maxime Pelagiani, istud est: quod si Deus bona operetur in nobis, quoties quis a bonis operibus abstinetur, non esset culpabilis, quia id non ageret, ad quod præstandum Divina Gratia est necessaria, & sine qua illud agere minime potest. Ad hoc respondit Augustinus, iccirco Deum bona opera in nobis quandoque non operari, ideoque nos ex tali defectu culpabiles fieri; quia ea denegatio oritur ex interna hominis repugnantia; quod tamen verum esset, si ex nulla posita a parte hominis repugnantia contingeret.

Semipelagiani tandem, ut suum errorem adstruerent, hoc est, initium bonorum operum saltem in nobis esse, monstrarent, multa asserbant Scripturæ testimonia, quibus Deus hominibus præcipit, ut hi boni operis initium ponant; puta cum adhortatur fideles: *Convertimini ad me... & convertar ad vos.* Zacharia cap. 1. *Convertimini ad correctionem meam... roboravi & venistis... quid est quod debui ultra facere, & non feci ei? at quæ expectavi, ut faceret vultus, & fecit lambrosus?* Hæc & alia id generis multa, ut evincerent, jubere Deum, ac etiam expectare, ut convertamur nos, & bonos fructus feramus. Quibus uno verbo reponerat Sanctissimus Doctor, principium certissimum esse, Deum factis in Litteris nil quicquam præcipere hominibus, ut faciant, quod etiam & ipse non prælet; unde ipse Deus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joan. 5. cap. 6. Sed de his satis in superioribus diximus.

Iis igitur, quæ ad Divinam Gratiam pertinent pro ut Theologi memoriter ex Cathedra dicentis officium postulat, explicatis, nihil erit convenientius, quam ut Dei operationes explicemus, quas inter primum locum obtinet Intellectus, quæ ipsamet Scientia est, ut sapienter observat Doctor Angelicus in Proemio quæst. 14. prime partis. Sed de hac in sequentibus dicemus.

Seray Tom. IV.

E e DIS-

### NOTA.

Cum per annos quadraginta in publica Universitate Theologicas materias pro munere suo pertractaverit Auctor, mirari non debes, si hæc de Divina Gratia Tractatio hoc loco volumine agitur, cum aliam adversus Julianum Disputationem post Quæstiones de Originali peccato immediate positam videris; quod in Autographis reperimus. Potuit namque bis; vel etiam fortassis ter, aut quater, eo annorum curriculo, Controversias de peccato Originis agitare; quibus modo unam, modo alteram Tractationem, prout liberet, subnectere, ne eundem semper ordinem serrare videretur, consulto poterat: quod quidem ex ejus Autographis non semel contigisse animadvertimus.

Hoc tamen non ita a te accipi volumus, ut easdem omnino Quæstiones, vel Prælectiones, quas semel Is recitaverat, iterum recitasse suspicis. Non enim hoc de Serjio nostro, cui certe nec Ingenii felicitas deerat, nec labor inimicus erat, prudenter existimandum est: sed quod vel alias eodem de Argumento Quæstiones, vel alia saltem ratione, ac methodo pertractatas in medium afferret, ut Iplemet non semel indicat in Autographis suis; ubi cum se Theologicam Diligantiam universam pluries tradidisse asserat, fatetur etiam, ad easdem se materias quandoque redire necessitate compulsum esse: quod tamen ita præstabat, ut vel Controversias variaret, vel aliquid novi adderet, vel alia prorsus via incederet, quam antea calcaverat.

Nos porro cum ex Prologo, quem Tractationi de Incarnatione auctor præfigit, observaverimus, eam Disputationibus de Humana Nature statibus subnexuisse, eidem Tractationi primum assignavimus locum: deinde Divinæ Gratiæ Tractatum consulto dedimus; ut, explorato Medici Adventu, ejusque Conditione, atque Virtute, ad Medicinam, quæ Dei Gratia est, explorandam accederemus. Neque enim ordinem a Theologis servari solum in postibus hisce Operibus servare potuimus, quia in paucis illis, quæ ad nos pervenerunt, Theologicis Tractationibus, Auctoris methodo intervire debuimus, juxta ea, quæ in Prologis, vel Disputationum liminibus annotavimus. Hinc nobis veniam non illibenter daturum Lectorem speramus, si hocce in Opere Theologiae Partes confundimus, nec servatum vel a Magistro Sententiarum, vel a D. Thoma ordinem exhibemus: quod quidem in postibus Scriptorum Operibus frequenter contingere, satis compertum est.